



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis**

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de  
Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

**Herincx, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1675**

Disputatio V. De Adventu Christi ad Iudicium

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72963](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72963)



Christo quidem Deo homini, sed secundum divinam naturam, adeoque humanitatem concretim expressam per communicationem idiomatum. Neque alio sensu fragilitatis nostrae substantia est collocata in gloriae paternae dexteram hoc modo acceptam.

122.  
Alius sensus, quo festo ad dexteram convenit Christo quam homini, declaratur.

Alio tamen sensu potest convenire Christo, etiam secundum humanam naturam, sedere ad dexteram Patris; quatenus id significat assumptionem ad bona potiora Patris, excellentiorem scilicet super omnes creaturas beatitudinem ac gloriam, nec non regiam ac judicariam potestatem sub Patre, cui scilicet sit praeter omnibus proximus. Quo modo rex in medio super excelso throno collocatus ascisceret sibi assidentem ad dexteram; velut primo & honoratissimo post regem loco. Et satis consonat contextus Symboli, ubi in antecedentibus & sequentibus est sermo de Christo qua homine. Sic etiam apte intelligitur, quod sub canone Missae in festo Ascensionis legitur: *Vitam sibi fragilitatis nostrae substantiam in gloriae suae dexteram collocavit.* Quod secundum rem contigit in die Ascensionis, quo Christus homo secundum animam

beatus etiam in via, at secundum corpus a die Resurrectionis beatus, cepit corporalem & quietam etiam loci possessionem cum augmento gloriae accidentalis.

Utrovis autem modo explicetur, est Christo proprium cum exclusione creaturarum. *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando: Sede a dexteris meis?* inquit Apostolus ad Heb. 1. Nulla namque etiam angelica creatura est in aequalitate, aut tam excellenti super omnes creaturas possessione gloriae paternae, potestatisque regiae ac judicariae. Quamvis omnes sancti potentur quietam possessione aeternae felicitatis, & cum Christo eidem subjecti suo modo regnabunt, nec non perfectiores praesertim participabunt judicariam aliquam potestatem, sed longe infra Christum. Quod verò *Matth. 20.* Filii Zebedaei seu mater eorum nomine postularint sessionem ad dexteram & ad sinistram Christi; & Christus responderit illam dandam iis, quibus haec dignitas a Patre parata foret; nil obstat: cum ibi sit sermo de primo & secundo dignitatis post Christum loco in gloria, non autem de sessione ad dexteram Patris.

## DISPUTATIO QUINTA.

### De Adventu Christi ad Iudicium.

QUIA in Symbolo Fidei post Ascensionem Christi in caelum subditur articulus de Adventu Christi ad Iudicium, idemque complet ultimam aeternam Christi seu actionem eius circa homines in hoc mundo, neque operae pretium apparet de Iudicio, praesertim universali, postmodum instituire peculiarem Tractatum, convenienter hic de eo, idemque antecedentibus & consequentibus tractabitur.

#### QUESTIO I.

*An sit duplex Iudicium, particulare & universale?*

I.  
Datur Iudicium particulare singulorum.

Dico I. Datur Iudicium particulare, quo singulorum animae post egressum a corporibus iudicantur, sententiamque aeternitatis accipiunt. Est indubitatum apud omnes Theologos, immo videtur de fide, ut notat Suarez d. 52. sect. 2. Et patet ex eo, quod fides (ut alibi dictum est) tradat animas defunctorum purgatione non indigentes mox frui caelestis gloriae, animas autem impiorum mox descendere in infernum ad penas, animas denique iustorum purgandas interim detineri poenis purgatorii, etiam (ut indubitata itidem habet doctrina) de aeterna gloria securissimas. Quae omnia aper-

te supponunt sententiam Iudicis retributoriam praemii vel condemnationis ad poenam. Confirmatur ex *Eccli. 11.* *Facile est coram Deo, in die obitus retribui, et unicuique secundum vias suas..... In fine hominis denudatio operum illius;* quia videlicet Deus ista conscientiae tunc manifestabit, & cognita causa, laetaque sententiam retributionem praemii vel supplicii faciet. Huc etiam juxta Quosdam facit illud Apostoli ad *Heb. 9.* *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem iudicium.* Quod tamen Plures intelligunt de Iudicio universali. Consonant quoque Patres, Augustinus, Gregorius & alii; & plurimae historiae probatae.

Dico II. Exercetur iudicium particulare statim in primo instanti, quo verum est dicere de quolibet; Jam non est. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia non est cur ulterius differatur; & aliunde Fides docet animas mox a morte affici gloriae aut poenae. Ante mortem autem homo adhuc est in via, seu statu merendi & demerendi.

Nec obstant quaedam visiones seu historiae, quarum nonnullae indicant quosdam accipere sententiam damnatoris, dum adhuc vivunt. Nonnullae e contra quosdam accipere illam dudum post, ut historia famosa Doctoris Parisiensis (quam refert Antoninus & alii) e cuius corpore in secre-



*Quaest. I. An sit duplex Judicium particulare & universale. 95*

tro jacente unâ die prodibat vox dicens: *A-  
cusatus sum; alterâ verò: Judicatus sum; tertiâ  
denique die: Condemnatus sum.*

Non obstant (inquam) nam istis indica-  
tur veritas Catholica de Judicio particulari,  
etsi non quoad modum & ordinem. Et pri-  
mâ quidem ostendunt quosdam homines  
perditissimâ vitæ in extremis constitutos,  
& à gravante conscientia cruciatos; divinâ  
que permissioe in desperationem lapsos,  
dedisse iudicia quædam imminentis iudicii  
quod effugere nequibant. Doct̃or verò Pa-  
risiensis (cujus tamen historia in recentiori-  
bus Breviariis ex Officio S. Brunonis ex  
ordinatione Sedis Apostolicæ, seu S. Con-  
gregationis expuncta est) mox à morte sen-  
tentiam damnationis acceperat, etsi ab ip-  
so non statim, sed cum temporis intervallo  
opportunè & palam coram solemnî populi  
conventu propalatam, unde terror divini  
iudicii, & per S. Brunonem orta est occa-  
sionaliter vitæ anachoreticæ restauratio.

Nihilominus Conclusio est intelligen-  
da regulariter: in iis enim qui resuscitantur  
extraordinariè ad vitam mortalem differ-  
tur iudicium, quousque in iis deinceps sic  
non resuscitandis per mortem ultimus vitæ  
(quam prior mors non stabilis tantùm sus-  
penderat seu interruperat) terminus adve-  
nerit.

Notandum verò iudicium hoc peragi  
spiritualiter seu per locutionem spiritua-  
lem utpote concernens animam separatam,  
neque ad illud moram temporis esse neces-  
sariam, sed Deum faciliè id peragere in in-  
stanti: etsi post illud mora aliqua brevis in-  
tercurrat in motu locali animæ judicatæ ad  
locum præmii vel supplicii. Unde etiâ  
credibile est ipsum peragi circa animam in  
loco egressû, uti in instanti egressû. Idque  
est facile & caret inconvenienti. Sic quoque  
non erit excogitandus frustraneus raptus  
animæ ad cælum (quod insuper non quadrat  
damnandis aut adhuc purgandis) aut lo-  
cum distitum, ibi sistendæ coram tribunali.

Is denique qui exercet iudicium indubiè  
Deus est; sic ut ante Incarnationem Christus  
homo, utpote necdum existens, nequidem  
concurreret tamquam iudex. Immo etsi  
huic in ipsâ Incarnatione data sit omnis  
potestas judiciaria veluti annexa Unioni  
hypostaticæ; tamen usque ad mortem non  
fuit eâ usus, qui non venerat in carnem  
mortalem iudicare; sed iudicari. Post glo-  
riosam tamen resurrectionem, aut etiâ  
fortè mox post mortem cœpit exercere ip-  
se quoque Christus homo (cui omne iudi-  
cium Pater dedit *Ioan. 5.* & omnem pote-  
statem in cælo & in terra *Matth. 28.*) hanc  
judiciariam potestatem; cujus nimirum u-  
sui deinceps nil obstat. Ad quod non est  
necessaria præsentia realis humanitatis  
Christi in loco animæ judicandæ; sed suffi-  
cit hanc elevari ad audiendam seu intelle-

ctualiter percipiendam sententiam Christi  
Judicis.

Putant nihilominus Nonnulli Christum  
in specie humana appariturum cuique ani-  
mæ judicandæ in tempore seu instanti par-  
ticularis iudicii ad solatium bonorum, &  
terrorem malorum: tum quia id apparet  
congruum estque Christo facile: tum quia  
sic apparebit in iudicio universali. De quo  
deinceps agendum pluribus.

D I C O III. Futurum præterea est iudi-  
cium universale. Est clarissimum ex *Matth. 25. Act. 17. 2. Petri 2.* & plurimis aliis Scrip-  
turæ locis. Item ex *Symbolis fidei, Apostolo-  
rum* scilicet, *Nicæno & Athanasii.* Neque est  
res magis in confesso apud Patres, Theolo-  
gos & universos Fideles. Rationes porrò  
instituenti universale iudicium sunt. Tum  
ut divina misericordia & iustitia (quæ hîc  
interdum, aut multis non ita manifesta est,  
vel etiam quandoque deluditur) coram to-  
to mundo manifestè appareat. Tum ut to-  
tus homo, etiam secundum corpus (quod  
quarundamque præter meritum honorificè se-  
pulturæ, quandoque infelictum abjicitur,  
eritque particeps gloriæ aut poenæ) iudice-  
tur; cum in iudicio particulari sola fuerit  
anima iudicata. Tum ut Filius Dei, qui in  
primo adventu humilis & instar rei iudi-  
candus apparuit, in secundo adventu clari-  
ficandus appareat in maiestate & gloria,  
palamque iudicaturus omnes; etiam illos,  
à quibus injustè fuerat iudicatus. Tum ut  
electi, qui hîc plerumque apparuerunt con-  
temptibiles, publico atque etiam divino te-  
stimonio honorentur, ac è contrâ con-  
fundantur impii, qui hîc in pretio habi-  
ti ceteros deprefferunt; juxta illud *Sap. 5. Hi  
sunt quos aliquando habuimus in derisum & in  
similitudinem improperii &c. Ecce quomodo com-  
putati sum inter filios Dei.* Tum quia opera ju-  
storum aut impiorum, quæ quodammodò  
post mortem manent, sive in hominum æsti-  
matione & famâ, sæpè veritati contrariâ,  
sive in effectu, prout bene vel malè verbo,  
scripto aut exemplo præverunt, de quibus  
durante hoc sæculo perfectum manifestum-  
que iudicium, haberi non potest; hæc, in-  
quam, meritò subdi debent novissimo Dei  
Iudicio, quo hæc omnia in veritate manife-  
stentur, non sine augmento saltem acci-  
dentali gloriæ sive poenæ; atque ita super  
illis cum sæculo finiendis generaliter ferat  
iudicium.

Circa iudicium porrò universale consi-  
derari possunt quædam illud antecedentia,  
quædam illud concomitantia, sive ad ejus  
formam vel integritatem spectantia, quæ-  
dam denique idem consequentia. De qui-  
bus in particulari agendum restat.

QUÆ

*Sua ex-  
plicatur.*

*Conclusio  
tamen in-  
telligenda  
est regula-  
riter, &  
quæ.*

*3. Iudicium  
hoc per-  
agendum  
spirituali-  
ter, non re-  
quirit rem-  
poris moram.*

*Apparetur  
in loco obi-  
tatis.*

*4. A Deo.*

*Post resur-  
rectionem  
verò Christi  
ab ipso.*

*Cujus ta-  
men realis  
in loco iudi-  
cii præsentia  
non requi-  
ritur.*

*Es si fortasse  
in specie  
humana  
anima  
judicanda  
etiam re-  
probæ appa-  
reat.*

*Futurum  
est iudicium  
universale.*

*Rationes, ob  
quas sit ser-  
vandam.*



## QUÆSTIO II.

## De Antichristo.

6. *Signa futuri iudicii quaedam sunt generalia & remota quaedam propria & propinqua.*

*Inter qua singulariter notabile erit regnum Antichristi.*

7. *Is erit verus homo.*

*Non diabolus incarnatus.*

*An ab eo corporaliter possidendus, non satis constat.*

*Saltem erit ei summe devotus, & maximus Dei adversarius.*

8. *Erit quoque unus & determinatus homo.*

**P**RÆTERMISSIS signis quibusdam communibus ac generalibus futuri iudicii (inter quæ Apostatarum, Hæreticorum & Pseudoprophetarum seductiones ac scandala, prælia, pestilentia, fames, terræ motus per loca, terroresque de caelo; de quibus *Matth. 24.* & alibi) quæ initia sunt dolorum, & quibus positus nondum est finis; breviter agendum est de signis propriis & propinquis, etsi non immediatis. Inter quæ primarium ferè locum obtinet adventus seu regnum Antichristi. De quo fit mentio *Dan. 7.* & *12. 2. Thessalon. 2. Apoc. 13.* & in omnium Patrum ac Catholicorum Doctorum de fine mundi seu iudicio tractantium Scriptis.

**DICO I.** Magnus ille antagonista seu adversarius Dei, qui nomine Antichristi intelligitur, erit verus homo. Est certum apud Patres & Doctores ex *2. ad Thessalon. 2.* ubi appellatur homo peccati ..... quem Dominus Iesus interficiet. Etsi fuerit error quorundam; putantium, non fore hominem, sed diabolum. Omnis quoque veri specie caret figmentum aliorum, qui putarunt fore diabolum incarnatum. Quod insuper non sine grandi miraculo, eoque non satis consono divinæ pietati, fieri posset, si tamen absolute non sit impossibile. Hoc denique necessario non confunderet voluntates aut libertates, neque aliter quàm nunc, scilicet per inductiones, posset natura diaboli deducere voluntatem humanam ad peccandum; cui alioquin non possent in culpam imputari, quæ faceret diabolica sibi unita natura & potentia.

Putant tamen Aliqui ipsum fore corporaliter possidendum à diabolo; vel multis dæmonibus. Verum & hoc non satis constat; & aliunde quæ diabolus in energumenis agit, iis per se loquendo non imputantur. Id saltem constat, fore hominem maxime Deo adversarium, adeoque diabolo plene devotum; cuius proinde suggestiones & artes à teneris imbuet, cuique familiaris erit. Quod satis indicatur *2. ad Thessalon. 2.* ubi vocatur homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tamquam sit Deus.

**DICO II.** Antichristus erit homo unicus & determinatus. Est etiam certum apud omnes Patres & Doctores, nec non Fideles, qui de Antichristo velut de particulari homine sentiunt & loquuntur. Idem quoque satis manifestè patet ex Scriptura *Ioan. 5.* Ego (inquit Christus) veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si, seu cum, alius venerit in nomine suo, illum recipietis; intellige, pro Messia,

scilicet Antichristum (ut communiter veteres Patres intelligunt) qui proinde est singularis homo, uti Christus, cui opponitur. Nec sanè Iudei regnum vel multitudinem, sed singularem hominem pro Messia recipient. Similiter manifestè de singulari homine intelligenda sunt, quæ *Dan. 7.* de Antichristo (ut Patres communiter exponunt) prædicantur; prout consideranti patebit. Quemadmodum & illa, quæ de Bestia ista prædicantur in *Apocalypsi c. 13.* & alibi. Postremò & principaliter idem quoque patet ex *2. ad Thessal. 2.* in verbis *n. præc.* relatis, ubi manifestè est sermo de particulari aliquo nequam. Ob quod in textu Græco singularis epithetis præponitur articulus, cuius adeò frequens præsertim repetitio communem significationem trahit ad certum individuum designandum q. d. *Ille homo peccati, ille filius perditionis, ille adversarius, ille iniquus.* Quàmvis alioquin articulus in Græco additus interdum non habeat emphasim specialem, sed redundet.

Nec refert quod *1. Ioan. 2.* dicitur: Sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt. Et infra: Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Et *cap. 4.* Omnis spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est. Et in *Epist. 2.* Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor & Antichristus. Respond. Ioansem Apostolum in primis satis clare asserere, quòd Fideibus esset à Christi Apostolis traditus adventus Antichristi, id est, adversarii Christi, cui scilicet per antonomasiam quamdam id nomen tribuatur, de quo dicit, *quia, venit,* id est venturus est, ut rectè vertit *Erasmus* & alii. Nam est verbum presentis temporis habens significationem cuiusdam futuri; quod idem est *Matth. 17.* ubi tamen Interpres noster de Elia vertit, *venturus est.* Simul equidem significat idem Apostolus illum Antichristum multos ex tunc cepisse prodromos seu præcursores habere, qui spiritu scilicet simili ducti Christianæ fidei, ipsique præsertim Jesu adversantes, eumque esse redemptorem & Filium Dei negantes (inter quos *Cerinthus* & similes) nomen Antichristi participare merentur. Qui etiam possent vocari Antichristi in genitivo, subintellige affines seu emissarii. Prout *cap. 4.* ubi noster Interpres vertit: *Es hic est Antichristus;* Græci legunt: *Es hic est ille ipsius Antichristi,* subintellige, spiritus, præcursor, aut quid simile.

**DICO III.** Antichristus sive regnum ejus necdum venit. Est certum apud omnes. Et patet: in quo hæcenus non apparuit quicquam, in quo signa illa concurrant, quæ Scriptura de Antichristo tradit. Nam in primis *2. ad Thessal. 2.* Antichristi adventui præmittitur: *Quoniam nisi venerit discessio primi.*



Cujus signum ponitur defectio Romani Imperii,

Aut quasi generalis ab Ecclesia.

11. Diversa alia Antichristo competentia necesse apparet,

12. Clarissimè redarguitur insania Hæreticorum calumniam, Penitentem esse Antichristum.

13. Explicatur illud Apoc. 13.

mum. Quod Veteres passim intelligunt de defectiōne seu destructione Romani Imperii; quod etsi à multis sæculis satis diminutum sit, & in Oriente dudum desecurit, antequam tamen ibi desecisset, restitutum fuit sacrationi modo per Leonem III. in Occidente, in quo adhuc titulo & re perseverat. Quod si cum D. Thomà Tyrano, Esius & aliis per discessionem (Græcè est apostasia, seu defectio) intelligatur defectio spiritualis, à fide scilicet atque Ecclesiâ (prout nomen apostasiæ in sacris Litteris magis sonat; accedente eo, quod vetus illud Romanum Imperium quasi solo titulo superstit) adhuc conficitur intentum: nam hactenus defectio illa, generalis scilicet vel quasi generalis, à fide & obedientiâ Ecclesiæ per omnes pænè provincias & regna (qualem hi Doctores intelligunt, quoad particulares enim personas, ac multas provincias dudum & sæpè contigit) nondum apparuit, ut ad oculum patet. Etsi illam non parum promovere studuerint post schisma Græcorum & Mahumetem, Lutherus, Calvinus similesque Sectarii recentiores. Tunc igitur primò revelabitur ille iniquus, ut Apostolus subjungit.

Secundò hactenus non apparuit, qui à Judæis reciperetur pro Messia; qui Monarchiam omnibus anterioribus eminentiorem, tribus dumtaxat annis cum medio duraturam super omnes regiones attentaverit; qui universim publicum fidei Christianæ cultum sustulerit; qui in signis & prodigiis mendacibus apparens sese pro Deo colendum & adorandum vi vel fraude adegerit &c. quæ in Scripturâ Antichristo tribuuntur, ut infra patebit.

Accedit, quod de adventu Helix & Henoch, qui sub tempus Antichristi venient, nondum aliquid appareat.

Ex dictis patet, quam ineptè Lutherus aliique Antichristi præcursores satanico spiritu effutierint Pontificem Romanum esse Antichristum: cum antea tota antiquitas pro Vicario Christi, Pastore Pastorum in terris, ipsum agnovit. Sanè Pontifex Romanus non est una persona determinata, sed plures invicem succedentes; non est homo peccati, filius perditionis, qui extollat se supra Deum, & calatur tamquam Deus; non est adventus ejus secundum operationem satanæ in signis & prodigiis mendacibus & in omni seductione iniquitatis: non interficit eum Dominus Jesus spiritu oris sui. Denique plura alia, quæ antiquitas & Scriptura attribuit Antichristo, manifestè non quadrant in Pontificem Romanum, ut digni non sint isti impii, contra quos hac in parte fusus disputetur.

Quibus non faveat, quod 2. ad Thessal. 2. dicitur: Nam mysterium jam operatur iniquitatis, scilicet Antichristus, qui proinde jam tum tempore Apostolorum fuit, etsi non-

dum revelatus. Nam certè tunc sanctus Petrus, Apostolorum Princeps erat Pontifex Romanus, isque solus; anne igitur hic fuerit Antichristus, qui veluti mysterium iniquitatis tunc operabatur? Procul hæc blasphemix. Inter varias porrò expositiones præfati loci (quarum nulla faveat Hæreticis) videtur illa satis commoda, juxta quam ly operatur sumitur passivè, uti sæpè alia verba deponentia (de quo vide Esium in illud ad Gal. 5. Fides qua per charitatem operatur) hoc sensu: Arcana & latens iniquitas, aliquando palam grassatura, nunc agitur seu cuditur per Hæreticos seductores atque Antichristi præcursores. Ita Esius in hunc locum.

Non faveat quoque Sectariis, quod numerus nominis Bestiæ seu Antichristi erit 666. ut patet Apoc. 13. quem numerum exhibet vox Latinus congruens Papæ Romano. Nam ista vox convenit æquè ceteris Latinis, signanter Petro Martyri aliisque Sectariis, qui ex Italia seu latio prodierunt. Deinde incertum est nomen singulari Antichristi, & in qua lingua, Græca scilicet an Hebræa (in quibus numeri consuetò designantur per litteras alphabeticæ) exprimeretur is numerus nominis ejus. Possent denique plura hujusmodi nomina adveniri, atque etiam alicui tribui, qui idcirco non esset Antichristus. Quocirca frustra se torquent etiam multi Catholici Scriptores, ut ex præfata prophetia colligant determinatè nomen futurum Antichristi, quod nunc ignotum, post adventum ejus erit notissimum, uti & numerus designatus per litteras nominis ejus. Sicut ante adventum Christi ignotum erat ejus nomen, postea notissimum, & simili modo in oraculo Sybillæ prædictum numerum scilicet nominis ejus fore 888, quem nomen Jesus in Græco conficit.

DICO III. Valde probabiliter nascitur Antichristus ex tribu Dan. Tum quia est recepta sententia, etiam apud veteres Patres. Tum quia non desunt indicia ex sacris litteris petita. Nam vaticinium Jacob Gen. 49. Fiat Dan coluber in via, & cerasites in semita, mordens angulas equi, ut cadat ascensor ejus retrò; etsi ad litteram principaliter intelligatur de Sampsonè, tamen secundò literaliter, aut certè in sensu allegorico explicatur à Patribus passim (quorum auctoritas non leve pondus tribuit) de Antichristo. Similiter illud Jeremiæ 8. A Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnantium ejus commota est omnis terra; etsi intelligatur ad litteram de Nabuchodonosor, qui cum suis Assyriis venturus erat per terram Dan ad evertendam Jerosolymam; nil tamen vetat, simul intelligi, saltem allegoricè de Antichristo, cujus figura erat Nabuchodonosor. Denique ob hoc Apoc. 7. tribum Dan non numerari inter ceteras

2. Thess. 2. Mysterium jam operatur iniquitatis.

14. Ex numero nominis Bestiæ fundatè prænotari non quit determinatum nomen, multò minus inde aliquid contra Pontificem inferri potest.

15. Antichristus verosimiliter nascetur ex tribu Dan.





tribus velut in odium Antichristi, censet *Irenaeus lib. 5. cap. 30.* & alii. Constantius receptum est sensu communi Doctorem, quod saltem erit genere Judæus, aliàs utique non recipiendus à Judæis pro Messia. In quem finem finget se de tribu Juda & progenie David, qui templum olim à Salomone constructum ipse sit reaedificaturus, juxta *Cyrillum Ierosolym. Catech. 15.* Simili porro astu posset se fingere Judæum, etiam assumptâ circumcissione, esto non foret; præsertim cum Judæi non anxie inquirent genealogiam personæ tam portentosæ, sibi que tam charæ, qui etiam in hoc, uti in qualitate tribus possent illudi. Sanè in Babylone (quæ typus est impiorum, omnisque confusionis, sedes antiqua hostium Ecclesiæ ac Synagogæ, in qua denique multi Judæi solutâ captivitate olim remanserunt) nasciturum, plures veteres Patres censent; & quidem sectâ (quidquid sit de genere) Mahumetanum fore, putat noster *Quaresmius lib. 1. Elucidat. terræ sanctæ cap. 78.* et si instar Protei se transformaturum in varias formas, signanter Judaïsmum. Quæ tamen satis conjecturalia sunt, uti & plura alia educationem Antichristi spectantia.

*Nascetur in Babylone juxta plures Veteres.*

*16. Erit potentissimus Orbis Monarcha.*

Ridiculum porro est, quod dicta Veterum de Babylone (quæ usitatè hoc nomine intelligitur) manifestè loquentium detorqueant quidam Sectarii ad urbem Romanam odio S. Sedis Apostolicæ.

DICO IV. Antichristus evadet in potentissimum Monarcham totius mundi. Patet ex *Dan. 7. & 11. & Apoc. 13. & 17.* Ex quibus locis (junctâ præsertim expositione veterum Patrum) ejusmodi series regni ejus colligi solet. Quarta bestia, quam vidit Daniel *cap. 7.* significat quartam Monarchiam, scilicet Romanorum. *Quaresmius tamen lib. 1. Elucidat. terræ sanctæ cap. 78.* contendit, significare Monarchiam Turcicam, veteribus Patribus non cognitam. Quidquid sit, quædam Monarchia circa tempus Antichristi habebit decem cornua; id est, erit dissecta in decem reges. *Et ecce* (inquit Daniel *cap. 7.*) *cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, scilicet Antichristus: & tria de cornibus seu regibus primis evulsa sunt à facie ejus.* Quos scilicet reges ipse, in initio despectus & parvulus, debet seu destruet. Tres vero reges illos fore *Egypti, Libyæ & Æthiopiæ,* colligi solet ex *Daniel. 11.* Ipse vero (ut dicitur *cap. 7.*) potentior erit prioribus decem regibus. E quibus postquam tres deleuerit, reliqui septem se ei subiciant. Ideoque *Apocalyp. 13.* describitur Antichristus velut bestia habens capita septem, ratione septem regum sibi subjugatorum, & cornua decem ob decem regna decem regum. De quo ibidem subditur: *Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam & gentem.*

*17. Figet regni* Porro figet tabernaculum suum Apaduo (locus est fortè accepturus tunc hoc nomen

ab eventu, sicut locus cladis Antichristi cum suis, adhuc ignotus & sine nomine præsentis, appellatur propheticè *Apoc. 16.* Armageddon, id est, excidium excidii) inter maria super montem Inlyrum & sanctissim, ut dicitur *Dan. 11.* Quod et si verificetur juxta multos in Antiocho Epiphane Antichristi typo, tamen juxta sensum sublimiorem, etiam à Spiritu sancto intentum, id explicant veteres Patres de Antichristo, qui fixurus sit solium suum in Judæa ierjacente inter mare mortuum & mare mediterraneum, idque in monte sancto, scilicet Moria sive Sion, in quo templum Judaicum ex parte conditum fuit; aut etiam in monte Oliveti. Ad quod etiam facit, quod Judæi eum recipiant pro Messia, rege splendido ac opulento diuque desiderato, ac proinde regni sedem inter ipsos fixuro: Ad idem facit, quod *Apoc. 11.* dicantur Henoch & Elias debellandi & occidendi ab Antichristo, quodque corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magna, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est; qui utique Jerosolymis est crucifixus. Quamvis *Estius* hunc locum in Notis ad eundem sic explicet, ut non faciat ad præsens intentum.

Ex his etiam colligitur Antichristum in principio simulaturum esse Judaïsmum, ejusdemque restaurationem, & (quod multi volunt) templum quoque Jerosolymitanum, saltem ex parte seu inchoativè, ædificaturum. Quo non obstante verificari potest prædictio Danielis *cap. 9.* perseveraturæ usque ad finem vastitatis, & statutæ desolationis templi: si quidem illo ipso tempore erit quasi finis sæculi. Deinde desolatio tunc vel maxima erit, quando is in illo templo volet colere tamquam Deus, adeoque veri Dei cultus eliminatus erit.

Quare et si in principio repudiato Christo videndus sit sectator Judaïsmi, sequere pro Christo & Messia gesturus; postea tamen divinitatem sibi soli arrogabit, & elevabitur adversus Deum Deorum, sive omnem Deum, adeoque etiam Deum Patrum suorum non reputabit, ut colligitur ex *Dan. 11. 2. Thesal. 2. & Apoc. 13.* Quamvis in occulto ex privato pacto cum damone credatur, hunc esse adoraturus. Ad quod stabilendum allegatur illud *Dan. 11. Deum Maozim in loco suo venerabitur, & Deum, quem ignoraverunt Patres ejus, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis.*

DICO V. Gravissimam excitabit Antichristus persecutorem contra Ecclesiam, adeo ut præcipuam partem Fidelium sit partim occisurus, partim seducturus. Ita significatur in variis Scripturæ locis. *Dan. 7.* de Antichristo dicitur: *Faciebat bellum adversus sanctos, & prævalebat eis. . . . . Et sanctos Alissimè conterit. Dan. 11. Et venies tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse ceperunt, usque ad*



ad tempus illud. Simile quid habetur *March.* 24. Hoc tamen juxta contextum *Chryso- stomus, Augustinus* & plures non incongrue explicant à Christo fuisse dictum de vastatione Jerosolymitana, hoc modo: Erit tunc tribulatio magna, scilicet in Judæa & Jerusalem; qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet, intellige in populo Judaico, ut ait *Augustinus Epist. 80. circa med.* Præterea dicitur de Bestia *Apoc. 13.* Et est datum illi bellum satere cum sanctis, & vincere eos. . . . adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non sunt nomina scripta in libro vite Agni. Et *Apoc. 20.* significatur, quod tempore Antichristi solvetur *Satanas* de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, que sunt super quatuor angulos terræ. Omnes autem, qui reperientur non adorare Bestiam, occidendos esse, satis patet ex *Apoc. 13.* Eò autem facilius ad se plures trahet, quod jam defectio velut generalis ab Ecclesia in plerisque præcessura erit. Trahet autem populos, partim timore & violentiâ, partim miraculis falsis opæ dæmonum patrandis, juxta illud 2. ad *Thessal. 2.* Cujus est adventus secundum operationem *Satanæ*, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, eis, qui pereunt.

Omnes non adoraverunt eam

Pleraque metu & falsis signis seducturus.

20. Omnes de nocte cultu alterius religionis, præsertim Christiana interdicuntur.

21.

Habebit quoque in signum pennis prophetæ tam velut suam præconem & præcedentem descripiam.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

zum est illi, ut daret spiritum imagini bestie, & loquatur imago bestie, scilicet diabolus per illam; ut olim per idola responsum dabat, Et faciat, ut quicumque non adoraverint imaginem bestie, seu bestiam principaliter in imagine, occidantur. Et faciet omnes . . . habere characterem in dextera manu sua aut in frontibus suis, velut signum Antichristianismi, & ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestie, aut numerum nominis ejus; id est, nisi qui habet sibi impressam sive imaginem Antichristi, sive nomen ejus explicite aut per compendium expressum. De eodem seductore, tamquam particulari persona, est sermo *Apoc. 19.* Apprehensa est bestia & cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso. . . . Vri missi sunt hi duo in stagnum ignis.

Dico VII. post reges sibi subjugatos regnabit Antichristus tribus annis & dimidio vel circiter; dein occidetur à Christo. Ita communiter Patres & Doctores. Prima pars colligitur ex *Dan. 7.* ubi dicitur: *Uadent in manu ejus, Antichristi, usque ad tempus & tempora & dimidium temporis.* Ubi per tempus intelligitur annus; per tempora duo anni, per dimidium temporis medius annus, juxta *Hieronymum Augustinum* & veteres patrum. Unde idem Propheta per septem tempora mutanda super *Nabuchodonozor* intelligit septem annos; & infra *cap. 12.* se ipsum explicans, tradit persecutionem Antichristi duraturam dies mille ducentos nonaginta, qui faciunt dies circiter duodecim ultra tres annos cum dimidio. Idem confirmatur ex *Apoc. 11.* ubi dicitur: *Civitatem sanctam concubabunt mensibus quadraginta duobus, qui conficiunt similiter tres annos cum dimidio.* Et infra dicitur: *Prophetabunt Henoch & Helias diebus mille ducentis sexaginta.* Et *cap. 12.* dicitur mulier, id est, Ecclesia, tempore Antichristi fugisse in solitudinem per dies mille ducentos sexaginta. Et infra dicitur ali in deserto loco per tempus & tempora & dimidium temporis. Et *cap. 13.* dicitur: *Datus est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Et *cap. 20.* Post hac oportet illum, *Satanam*, solvi modico tempore, scilicet persecutionis Antichristi; idque ob nimiam sevitiam & vehementiam persecutionis, atque adeo propter electos.

22. Monarchia ejus durabit tribus annis et dimidio.

Secunda pars patet ex 2 ad *Thessal. 2.* Quam Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, scilicet per imperium, atque Angeli, scilicet S. Michaelis, ministerium. Hoc sensu etiam intelligitur passim illud *Isaia 11.* Spiritus in labiorum suorum interficiet impium. Idque juxta multos in monte Oliveti, dum simulabit se velle in cælum conscendere, ceteris illius jam in aërem evahi cepti divinitati acclamantibus. Quò Nonnulli applicant illud *Dan. 11.* *Figet tabernaculum suum super montem inclitum & sanctum . . . et nemo auxiliabitur ei.* Verosimiliter autem scribitur,

23. Post quos occidetur à Christo per S. Michaelem, juxta multos in monte Oliveti.

Modus occisionis de-





instar Chore, Dathan & Abiron deglucitur cum suo pseudopropheta vivus à terra, & sic per Angelum præcipitabitur in infernum. Cui consonat illud Apoc. 19. *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta. . . . . Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure: & ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius; id est, jussu & imperio Christi, quo scilicet ignis de caelo descendit, & exercitus cum regibus Antichristo adherentibus devoravit, ut colligitur ex Apoc. 20.*

Cum occidetur pseudopropheta, & exercitus adherentes.

24. Quanto ab hinc tempore sequetur judicium non constat.

Rejicitur, quod quidam ex Dan. 12. consicunt de quadraginta quinque diebus.

Longius omnino tempus sita pererit.

Quantum denique temporis post mortem Antichristi supererit usque ad diem Judicii, incertum est. Varii quidem numerant solos quadraginta quinque dies ex Dan. 12. ubi cum ab abolitione jugis sacrificii Angelus numerasset mille ducentos nonaginta dies, superaddens alios quadraginta quinque dies, subdit: *Beatus qui expectat & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*, quali videlicet tunc Christus venturus sit ad judicium. Sed sine fundamento. Nam (ut omitam quod Nonnulli accipiant hos dies mille trecentos triginta quinque velut prioribus condistinctos; alii per quadraginta quinque dies intelligant totidem annos, inconsequenter tamen ad dies priores secundum litteram intelligendos) in primis sic alioquin determinate præsciri posset dies judicii, ab initio persecutionis Antichristi, inque scilicet computando dies mille trecentos triginta quinque, cum tamen etiam tunc sit futurus dies domini ignotus, utpote venturus sicut fur in nocte 1. ad Thessal. 5. Et illud Matth. 24. *De die autem illa & hora nemo scit; etiam tu. &c.* erit verum. Nam (ut subditur) erunt homines sicut in diebus Noë, scilicet edentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usque ad diem judicii. Quod similiter non consistit cum ista temporis brevitate, & quidem adeo determinate expressâ, post tantas clades & persecutiones.

Præterea cum Antichristo cædetur à Deo Gog & Magog (quorum nominum mentio est Apocal. 20. De eodem prælio agitur cap. 19. & fusè Ezechiel 39.) clade tantâ, ut sepultura cadaverum sint impendendi septem menses ad mundandam terram Ezech. 39. ubi insuper fit mentio septem annorum. Sanè longius tempus videtur requirere perfecta Judæorum conversio cum subsequenti pacifico exercitio fidei Christianæ. Ut proinde Ecclesia tunc reditura credatur ad magnam pacem & tranquillitatem: post quam, etsi non longam, inopinatè veniet Dominus ad judicium. Dicitur itaque beatus, qui pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque, quia cæsis hostibus circa illud tempus incipient prodire securè in publicum ministri Ecclesiæ, & fungi officiis suis, atque restaurare destructa, omni metu deposito &

plena atque jam publicè & tâ certitudine de omni periculi cessatione.

QUÆSTIO III.

De Adventu & Prædicatione Henoch & Eliæ.

DE hac re sic in primis enuntiat Propheta Evangelicus Mat. 11. *Dabo duobus Testibus meis, & prophætabunt diebus mille ducentis sexaginta annis saccis.* Hinc certum est apud omnes, duos à Deo mittendos in testimonium contra Antichristum durante ejus persecutione, veluti præcursores secundi adventus ad judicium, illosque ab Antichristo circa finem suæ tyrannidis afficiendos martyrio.

Porrò duos hos testes fore Henoch & Eliam est communis doctrina Patrum & Theologorum ac Interpretum, atque etiam sensus Fidelium. Quod de utroque probatur ex eo, quod communi sensu Patrum & Fidelium constat, eos adhuc vivere, adeoque non ob alium finem translatos esse in locum secretum, quàm ut in fine mundi testimonium dent Christo; Henoch quidem, quia vixit tempore Legis naturæ, specialiter pro conversione Gentium, Eliam vero, quia tempore Legis scriptæ, pro conversione Judæorum. Idem quoque satis exprimit Scriptura. De Henoch Genes. 5. ubi non dicitur de illo, uti de reliquis, *& mortuus est, sed, Ambulavit que coram Deo, & non comparuit, quia tulit eum Deus.* Et ad Hebr. 11. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem &c.* De Helia vero 4. Regum 2. ubi dicitur, quod per turbinem in curru igneo ascenderit cælum.

Præterea probatur ex eo, quod Eccli. 44. dicatur *Hench Translatus in paradysum* (Nota in Græco non haberi *ly in paradysum*, nec nominari aliquem locum) *ut converteret Gentibus penitentiam, prædicando scilicet in fine sæculi.* Et cap. 48. de Elia dicitur: *Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Jacob.* Et clarius Matth. 17. *Elias venturus est, & restituet omnia.* Et Malach. 4. *Ece ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnæ & horribilis.* Ad Eliam quoque satis aperte alluditur Apoc. 11. ubi dicitur: *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum & devorabit inimicos eorum; & si quis voluerit eum ledere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum.*

Ex quibus etiam & sequentibus patet, quod ipsorum prædicatione erit in veris signis & prodigiis, quibus contra & supra Antichristum veritatem prædicationis suæ confirmabunt, ac tum Gentes, tum Judæos ad fidem Christi convertent. Quæ Judæorum conversio sub vesperam seu finem



nem mundi, juxta varios prædicta quoque est Psal. 8. Convertentur ad Vesperam, & famem patentur ut canes, & circumibunt civitatem.

27. An verò omnes omnino Judæi tunc convertendi & salvandi sint, merito dubitari posset, ideo quòd *Matth. 17.* de Elia dicitur: *Restituet omnia.* Et quòd *ad Rom. 11.* tanquam singulare mysterium Apostolus tradat, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec intret plenitudo gentium, & sic omnis Israel salvus fiet. Sed hæc loca satis verificantur in maxima convertendorum ex omnibus tribubus multitudine, ex quarum tamen singulis de facto seu constanter convertentur soli electi (quales utique non erunt, omnes tunc usque ad unum) prout satis exprimitur *Dan. 12.* *In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro; supple, vitæ: in quo soli electi sunt scripti.* Idemque videtur conformius libero

Quorum pars maxima tunc convertetur.

28.

& instabili hominis arbitrio in tanta multitudine. Eodem sensu & modo intrare dicitur plenitudo Gentium; ex quibus tamen plurimi non salvantur. Credi tamen potest, plerisque Judæos tunc serio convertendos. Quòd verò *Apo. 7.* referantur signati ex quavis tribu duodecim millia salvandorum; non denotat istum præcisè fore numerum, sed numerus duodenarius velut universalis positus est; certus pro incerto. Quàmvis quoque tribus Dan ibi non annumeretur, sive in odium Antichristi, sive quia tribus ista deflexit primò ad idolatriam; non infertur tamen inde, quòd nulli vel non multi ex ista tribu convertendi sint: præsertim cum Scripturæ aliæ sint generales. Et dato, quòd ex ea sit Antichristus nasciturus, ei tamen veluti se gerenti quasi de familia David, non potius adhærebit ista tribus, quàm ceteræ. Denique post cladem Antichristi adhuc locus esse posset conversioni eorum, qui ex ista tribu Antichristo adhæserant; ut mox ostendetur.

Si queratur, quo modo Judæi sint per Eliam convertendi; cum sint adhæsurus omnes Antichristo tanquam Messia? Resp. Antichristum quidem in initio Judæis placitum, postea tamen defecturum ab eorum religione, ac contempto Messia titulo se gesturum pro Deo unico, & solo adorando: adeoque Judæos visis miraculis & auditâ prædicatione Eliæ, omnique spe venturi Messia privatos reversuros ad Dominum, & Christum ejus Jesum. Quòd si vivente adhuc Elia plures non sint conversi, convertentur saltem postea, visâ resuscitatione Henoch & Eliæ post occisionem, ac mirabili assumptione in caelum, de qua statim; visâ quoque brevi sequente strage & mirabili punitione Antichristi cum suis, sicque in memoriam revocatâ prædicatione, confirmandâ quoque deinceps per ministros Ecclesiæ.

Herinx Sum. Theol. Pars IV.

Contra certam & communiter receptam doctrinam, Nonnulli olim censuerunt Moysen. Alii (ut *Victorinus Martyr*) Jeremiam venturum cum Elia in fine mundi. Denique *Hippolytus Martyr* putavit Joannem Evangelistam mittendum ad refutandum Antichristum. Sed hæc somnia sunt infundata. Constat enim ex Scriptura Moysen esse mortuum. Idem constat ex *Martyrologio Romano* & veteribus Patribus de Jeremia, eum scilicet esse in Taphnis oppido Ægypti, quòd à Judæis eò confugientibus abductus fuerat lapidatum, ibidemque sepultum. Idem constat ex Patribus communiter, de Joanne Evangelista, quòd scilicet obierit sub Trajano Anno Domini 68. Contra quem præterea facit, quòd in Apocalypsi fiat tantum mentio duorum testium.

29. Præter hos nemo alius venturus est. sive Moyses, sive Jeremias, sive Joannes Apostolus.

Nec refert, quòd *Apo. 11.* referantur plagæ similes Ægyptiacis infligendæ per duos testes seu prophetas. Nam inde non sequitur fore eosdem infligentes.

30. Ostenditur oppositam conjecturam esse infundatam quoniam ad Moysen. Et Jeremiam.

Similiter non refert, quòd *Jerem. 1.* dicitur: *Prophetam in Gentibus dedi te.* Datus enim est propheta ad Gentes, quatenus partim in Judæa, partim in Ægypto multa diversis Gentibus prædixit, signanter Ægypto instans à Nabuchodonozor rege seu Chaldæis excidium.

Denique non refert, quòd Christus *Matth. 16.* dixerit: *Sum de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Et *Joan. 21.* *Sic enim, Joannem, volo manere donec veniam.* Et *Apo. 10.* eidem dicitur in spiritu: *Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis & regibus multis.* Non refert, inquam, nam primum fuit impletum juxta quosdam in gloriosa Christi resurrectione; vel (ut rectius Alii) in Joanne & duobus aliis post sex dies in transfiguratione Christi. Secundum non est asserentis, sed conditionate supponentis, q. d. Si (ut Syriaca & Græca & nonnulla Exemplaria Latina & passim Commentatores Græci habent) vel esto, sic cum volo manere donec veniam ad judicium, quid ad te pertinet hoc curiosius inquirere? Unde ipse Joannes *c. 21.* infundatum sermonem, qui exiit inter fratres, quòd discipulus ille non moritur, corrigens ait: *Et non dixit Jesus, assertive scilicet, non moritur, sed, conditionate, sic (aliàs si) enim volo manere donec veniam, quid hoc ad te.* Tertium denique impletum est in sequentibus capitibus Apocalypsis. Adde, quod prophetare à multis Patribus explicari, ut sit idem ibi, quòd prædicare seu evangelizare; id autem Joannes post id tempus de novo præstitit.

31. Similiter non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. Et Joannem, volo manere donec veniam.

Cum itaque hi duo testes finierint testimonium suum contra Antichristum, idem seu bestia . . . . . faciet adversum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, ut dicitur *Apocal. 11.* *Etia Mar-*

31. Descriptum Apoc. 11. Henoch & Elia Martyrium.





Moxque subditur: *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magna, ubi & Dominus eorum crucifixus est; scilicet per tres dies & dimidium, & corpora eorum non sinent poni in monumentis, & inhabitantes terram gaudebunt super illos..... quoniam hi duo propheta cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.*

Ac sub-  
quens resus-  
citatio glo-  
riosag, in  
calum as-  
censio.

Postea ibidem subditur eorum resuscitatio & glorificatio: *Et post dies tres & dimidium spiritus vita à Deo intravit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt, per dotem agilitatis, in calum in nube: & viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus est terra motus magnus & decima pars civitatis cecidit: & occisa sunt in terra motu nomina hominum septem millia, & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo celi. De quibus præterea nil superest dicendum. Si quæ in verbis præfatis occurrerit dubitatio videri poterunt Interpretes.*

Cum horri-  
bili terra  
motu.

#### QUÆSTIO IV.

##### De reliquis Signis antecedentibus Iudicium universale.

32.  
Iudicium  
antecedet  
Evangelii  
prædicatio  
ac successiva  
receptio  
per totum  
mundum,

**P** R I M U M inter signa alia iudicium extremum antecedentia ponitur, tum à veteribus Patribus, tum à recentioribus Doctoribus prædicatio Evangelii per totum mundum. Omnibus enim Gentibus & Nationibus successivè ac temporibus divinæ providentiæ opportunis annuntiandus est Christus, atque etiam recipiendus, eatenus saltem, quod ubique aliquanto tempore vigeat ac prævaleat publicum fidei Christianæ exercitium: ut impleatur promissa Christo omnium Gentium hereditas *Psal. 2. Dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Psal. 71. Dominabitur à mari usque ad mare, &c. omnes Gentes servient ei. Psal. 85. Omnes Gentes quascumque fecisti venient & adorabunt coram te Domine &c. Et Apoc. 7. describuntur electi ex omnibus gentibus, populis & linguis. Denique Matth. 24. dicitur: *Et prædicabitur Evangelium hoc in universo orbe in testimonium omnibus Gentibus; & tunc veniet consummatio.* Quod etiam Chrysostomus, Theophylactus & nonnulli alii explent de consummatione seu destructione Jerosolymitana; tamen Patres passim & Interpretes intelligunt, saltem principaliter, simul de consummatione sæculi, de qua præcesserat interrogatio Discipulorum: *Quod signum adventus tui, & consummationis sæculi.* Sanè ipsis temporibus Apostolorum Evangelium quidem jam tum disseminatum erat per plurimas mundi plagas, & radicaliter in virtute feminis per totum orbem, quem vi jacti tum feminis esset aliquando repleturum (ut indicat *August. Epist.**

86.) ob quod ad *Rom. 10.* indicatur jam tum impletum fuisse illud *Psal. 18. In omnem terram exivit sonus eorum &c.* Et ad *Coloss. 1.* dicitur Evangelium prædicari in universa creatura, quæ sub celo est. Propriè tamen & in rigore id verum non erat (prout verificari debent Scripturæ præallegatæ) sed quodam modo loquendi, ut præmissum est; aut per quamdam hyperbolen, prout *Actor. 2.* dicuntur tempore adventus Spiritus sancti fuisse *Jerosolymis habitantes vii. religioſi ex omni natione quæ sub celo est.*

Admisso itaque hoc signo, constat necdum illud ubique factis impletum, ob varias regiones veteribus incognitas, immo etiam recentissimè inventas, in quibus Evangelium necdum est factis plantatum & radicatum. Ex illo tamen posito necdum irrefragabiliter sequeretur iudicium mox postea secuturum: posset enim quis illud ita intelligere, ut consummatio sit ventura tunc, subintellige primùm, id est, non antè, non autem, quasi illo tempore transacto sit brevi secutura consummatio; ut observat *Aug. Epist. 78.* & post eum *Beda in cap. 24. Matth.*

Præter hæc erunt varia signa horribiliora seu plagæ antea non visæ in cælis & elementis, quæ diem istum tremendum prænuntiabunt tamquam mox instantem. Sic ut enim multimodæ plagæ præcesserunt deletionem Ægyptiorum in mari rubro, variaque prodigia & flagella destructionem Jerosolymitanam, vastationemque populi Judaici (cujus utriusque nationis calamitas & excidium typus est excidii mundi) sic quoque ultima tribulatio multis tribulationibus prævenietur, priusquam scilicet extrema severitas in respiscere nolentes stringatur. Quas quidem plagas indicat Scriptura *Matth. 24. Marci 13. Lucæ 21. Apoc. 6. 8. 9. & 16.* & alibi. Eas fuse delineat *Lefsius lib. 13. de perfect. divin. cap. 18.* ubi num. 105. contendit, & optimè à *Ribera* ostensum asserit, plagas istas horrendas, quæ in Apocalypsi referuntur, non solum allegoricè seu mysticè, sed etiam historicè & secundum litteram esse intelligendas. Præterea ex *Hieronymo* refert *D. Thomas quest. 73. Supplem. art. 1. & in 4. dist. 48. quest. 1. art. 4.* & *D. Bonav. eadem dist. in Expos. textus dub. 3. quindecim* extraordinaria signa antecedentia iudicium. Hæc tamen (ait *D. Thomas in Supplem. sup.*) *Hieronymus non asserit, sed in Annalibus Hebræorum se ea scripta reperisse dicit; quæ etiam (magnâ scilicet ex parte) valde parum verisimilitudinis habent. Unde utrum ira se habeant, Deus novit, inquit, D. Bonav. sup.*

In cælis proinde sol obscurabitur. *Matth. 24.* fiet niger tamquam saccus cilicinus, *Apoc. 6.* live per obtentionem densissimarum nubium tenebras generantium, sive per subtractionem divini concursus ne illuminet terram, sive per extraordinarias etiam & prodigiosas eclipses.

LUNA



Qu. V. A quo, ubi, qualiter peragendum sit iudicium universale. 103

In Luna,

Luna non dabit lumen suum Matth. 24. ubi defectum scilicet Solis, à quo lumen mutatur. Et ut prædicitur Apoc. 6. Luna tota facta est sicut sanguis. Ita enim esse solet, cum defectu luminis solaris obscuratur.

In Stellis.

Stellæ cadent de cælo, ut dicitur Matthæi 24. non tantum quatenus propter obscuracionem Solis non lucentis cecidisse videbuntur; sed etiam quia verè cadent de cælo super terram, ut dicitur Apoc. 6. quatenus videlicet de summa aëris regione cadent multæ ignitæ faces aut cometæ instar stellarum, sic ut Scriptura loquatur iuxta morem & apprehensionem vulgarem. Quare generaliter virtutes cælorum commovebuntur Matth. 24. atraque de suo solito statu deturbabuntur. Eritque obscuratio Solis, lunæ, & stellarum ad tertiam partem, ut significatur Apoc. 8. Huc etiam facit, quòd ob hujusmodi indispositiones cæli dicuntur complicandi sicut liber involutus. De quo vide dicta Part. 1. Tr. 3. disp. 6. quest. 5.

36.

In aere & ceteris Elementis.

Ad cælorum conturbationem etiam revocari potest inordinatus seu vagus & incertus illorum motus, per intervalla cessatio à motu, perturbatio aëris tanta, ut ipsi cæli commoti appareant. Itaque simili modo erunt in aere insoliti motus & horrenda meteora: in mari similiter & aquis alteratio, infectio, horrendaque perturbatio: in terra denique præter alias plagas, horrendi terræ motus, sic ut omnis mons & insulæ de locis suis sint movendæ Apoc. 6. Ubi est sermo de motu antecedente regnum Antichristi. Maximus autem omnium tempore Antichristi futurus describitur Apoc. 16. Facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terra motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terra motus, sic magnus.

QUESTIO V.

A quo, ubi, qualiter peragendum sit iudicium universale?

37. Inducitur peragetur à Christo in divina & humana natura.

Dico I. Certum est iudicium universale peragendum à Christo in humana natura, & secundum naturam, tum divinam principaliter, tum humanam secundariò & ex commissione. Ita omnes Patres & Doctores. Et in primis quòd in humana natura sit peragendum à Christo, patet eo ipso, quòd Christus sit iudicaturus vivos & mortuos, secundum Scripturas passim & Symbola fidei, qui utique humanam naturam tunc non deponet, sed in unitate personæ conjunctam habebit. Deinde idcirco tam signanter dicitur Dan. 7. Matth. 16. & 24. Et alibi Filius hominis venturus esse in nubibus cæli ad iudicandum. Idem confirmatur ex dicendis in probatione postremæ partis Conclusionis.

Ex quo præterea evidenter patet iudicium hoc peragendum à Filio Dei, quatenus in loco iudicii unito ipsi naturæ humanæ. Et quidem apparebit in forma corporali gloriosa, ut patet Matth. 24. & alibi, & signanter Act. 1. ubi Angeli Apostolis intuentibus in cælum eunte seu ascendente Christo, dixerunt: Sic veniet, scilicet gloriosus & visibilis ad iudicium, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Ideoque in forma gloriosa apparebit, non tantum bonis, sed etiam reprobis, ut habet communis doctrina, quam explicans D. Bonav. 4. dist. 43. art. 1. quest. 3. in corp. ait: Et non erit differentia ex parte apparentis, sed ex parte respicientium: boni enim respicient gloriosam formam cum gaudio & gloria, sed mali cum confusione & pena. Confundentur enim in aspectu eius, & non poterunt ejus sustinere intuitum propter conscientie remorsum, & propter expectationem ferende sententia contra eos: & contra boni oblectabuntur. Quare etiam videbitur à suis crucifixoribus, juxta illud Apoc. 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui cum pupugerunt. Et Zachar. 12. Aspicient ad me, quem confixerunt. Et Matthæi 26. Christus Caiphæ, & Concilio Judæorum (qui erant reprobi, saltem plerique) dixit: Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Divinitatem tamen Christi soli justi seu beati aspicient, uti est in confesso. Congruum autem erat, ut quoniam iudicandi sunt boni & mali, omnes iudicem suum viderent, in forma quidem servi utriusque, in forma verò Dei soli boni.

38.

In quo apparetis cor poraliter visibilis omnibus,

Electis quia dem ad gloriam, reprobis ad penam,

Secunda pars patet: quia requiritur ad iudicium auctoritas seu potestas; illa autem, sive ad sententiam ferendam, sive ad executioni mandandam, tum in præmio vitæ æternæ, tum in supplicio mortis sempiternæ, principaliter & ex natura sua competit divinitati, sicut ei competit principale, absolutum & independens dominium, quod potestas iudicandi consequitur. Et hac ratione convenit æqualiter toti Trinitati. Per quamdam tamen appropriationem potest tribui Filio, quatenus ei ita convenit sapientia, à qua velut propria ratione actus iudicandi procedit. Nihilominus potest etiam aliâ consideratione attribui ceteris personis, quatenus scilicet ad rectum iudicium præter sapientiam concurret iudicandi potestas seu auctoritas, quæ appropriatur Patri, & zelus iustitiæ seu amor rectitudinis, qui appropriatur Spiritui sancto.

39.

Christus iudicabit primariò secundariò divinam naturam.

Auctoritas suprema iudicandi tribus communis, appropriatur quodammodo singulis, præsertim Filio.

Tertia pars probatur ex Ioan. 5. ubi de Patre ait Christus: Potestatem dedit ei, Filio scilicet, tamquam Filio hominis, iudicium facere, quia Filius hominis est. Act. 10. Qui constitutus est à Deo Index vivorum & mortuorum. Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Eodemque sensu de Christo etiam quæ homine dicitur in Symbolo Apostolorum: Inde venturus est iudicare vivos &

40.

Secundariò & ex appropriatione iudicabit Christus secundum humanam naturam.



mortuos. Usus autem huius iudiciariae potestatis suam morte promeruit. Et tunc quae ei curvabitur omne genu, ut dicitur *Isaie 45.* & *ad Rom. 14.* sive omne genu flectetur, caelestium, terrestrium & infernorum, ut dicitur *ad Philipp. 2.*

Proinde in forma hominis non tantum ministerialiter proferet sententiam, sed etiam auctoritative, & quidem auctoritate supremam infra divinam, utpote ab hac commissam. Et quia *Christus est Deus & homo*, seu eadem persona, *sententia eius non erit tamquam iudicis delegati, sed tamquam principalis.* Et ideo ab ea propter utramque potestatem nemo poterit appellare inquit *D. Bonav. 4. dist. 48. art. 1. quest. 1. in corp.*

41.  
Locus iudicis erit Vallis Iosaphat.

Suadetur ex Scriptura.

**DICO II.** Locus in quo congregandi sunt reprobi est vallis Iosaphat (quae est inter montem Oliveti & Jerusalem) cum locis adjacentibus circumquaque, iustis & contra in aere cum Christo elevatis, juxta illud *1. ad Thessal. 4.* *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* Conclusio est communior Patrum & Doctorum. Suadetur ex *Toel. 3.* ubi constat sermonem esse de extremo iudicio: *Congregabo* (inquit *Propheta*) *omnes gentes, & deducam illas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi.* Et infra: *Consurgant & ascendant Gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, ut iudicem omnes Gentes in circuitu.* Et rursus: *Dominus de caelo rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam.* Quamvis autem *ly Vallis Iosaphat* interpretatum sonet vallis iudicii, sicut *ly Bethlehem* domus panis; cum tamen vallis ista determinato suo nomine exprimitur, censendum est illam fore determinate locum iudicii. Gratis praeterea Nonnulli censent quidem intelligi locum determinatum, sed incognitum, qui ab effectu futuro nomen desumat: cum enim de facto habeamus locum determinatum isto nomine insignitum, is potius censendus est locus iudicii. Idemque satis suadet circumstantia loci: congruebat enim, ut ibi in maiestate descendens & conspiciendus iudicet omnes, opusque nostrae salutis complete terminet, ubi in abiectione & humilitate descendens opus salutis nostrae coepit, & visus, reprobatus, ac iudicatus est. Unde cum inter montem Oliveti & montem Moria seu Calvariae interjecta sit vallis Iosaphat & vetus Jerusalem, hinc Christo Iudice super montem Oliveti, unde ascendit, rursus descendente (super quem in aere a Doctoribus statui solet thronus iudicialis) vallis Iosaphat, mons Calvariae & Jerusalem in conspectu erunt, vallis autem gehennon (quae est typus inferni) ad sinistram.

Et congruentia.

42.  
Resurrectio fiet in prociectu iudicii.

Quocirca cum Salvator incipiet de caelo descendere, aut descensus velut in prociectu erit, praemittere Angelos cum tuba, ut mortuos excitent & convocent ad iudicium. Quae tuba personante, in ictu oculi tamquam a somno excitati resurgent, & com-

parebunt super terram, & crimemque in locum iudicii transferentur, reprobis quidem in terra mansuris, iustis vero in aera obviam Christo rapiendis, seu per dotem agilitatis obviam processuris. De resurrectione vero nil superest hic dicendum; cum de ea plenius actum sit *P. 2. Tract. 1. d. 3. qu. 1. & 2.* Ubi etiam *n. 16.* de hora, qua futurum videatur iudicium, egimus.

**DICO III.** Christus Dominus tamquam Iudex descendet cum maxima gloria & maiestate. Patet ex Scriptura *Matth. 24.* *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa & maiestate.* Item *cap. 25. Marci 13. Luca 21.* & alibi.

Ad iudicis potestatem majestatem facit Primò, quod *tunc parebit signum Filii hominis, Matth. 24.* Intellige cum Patribus & Doctoribus communiter, signum crucis. Secundum quod canit Ecclesia: *Hoc signum crucis apparet in caelo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Proinde rejicienda est singularis & ficta expositio *Calvini*, per hoc signum intelligentis ipsum Filium hominis. Quae insuper inde refutatur, quod juxta communem conceptum per signum alicujus personae intelligatur quid ab ea distinctum.

An autem ipsa Crux individua, in qua Christus pependit; instar solis fulgida, sit apparitura, ac deinceps in caelo aeternum servanda, non ita exploratum est. Quamvis enim id Quidam senserint, sola tamen nuntur conjectura. Expediit vero est, quod Alii censent, ex aere scilicet vel nubibus formandam ingentem quamdam & lucidam (immo sole fulgentiorem, ut Quidam Patres loquuntur) crucis figuram, quae a cunctis conspici longissime possit. Cui consonat, quod Ecclesia canit fore in caelo *signum crucis.* Ipsum vero vel instar labari seu vexilli deferetur ab Angelis ante faciem regis & iudicis, vel certo loco fixum apparebit instar signi iudicis jam jam adfuturi. Et tunc *plangent omnes tribus terrae,* ait Christus *Matth. 24.* scilicet impii. Iusti enim sine pavore & fletu laeti iudicem expectabunt, utpote de sententia securi, & jam actu beati.

Secundo ad maiestatem iudicis facit claritas seu gloria corporis supra solis fulgorem splendidi; longè amplius quam ceterorum iustorum, qui sicut sol fulgebunt. Cujus quidem gloriae specimen exhibuit in transfiguratione, in qua resplenduit facies ejus sicut sol.

Tertio augebit maiestatem comitatus omnium Angelorum sanctorum. Juxta illud *Matth. 25.* *Cum venerit Filius hominis in maiestate* (græcè est, gloria) *sua, & omnes Angeli cum eo,* constituentes exercitum innumerabilem optime ordinatum, & quidem in corporibus splendidis assumptis juxta *Leysum lib. 12. de Persecl. divin. n. 132.* & alios, eo quod iudicium sive tragedia fiet sensibili modo, atque ut hoc cedat ad incredibile

aug.



Qu. V. A quo, ubi, qualiter peragendum sit iudicium universale. 105

augmentum externæ majestatis seu gloriæ, alioquin non conspicienda ab impiis, quorum causâ præcipue exhibebitur. Angelis accedet in aere ad dexteram Judicis (sive proprie dictæ, sive per illam intelligendo cum Variis locum honoris & felicitatis) innumerabilis electorum caterva cum corporibus gloriosis. Tunc stabunt iusti in magna constantia, impii verò in terra depressi ad sinistram iudicis proprie dictam, vel circumquaque cæsi, per sinistram intelligendo locum indignitatis & miserationis turbabuntur timore horribili dicentes: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum &c. Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei &c. Sap. 5.* Quibus etiam aderit immensa multitudo cunctorum demonum, quos in corporibus apparatus ad confusionem impiorum (à quibus aliis non viderentur) & gloriam Christi in iudicio sensibili, putat *Lesius sup. n. 134* valde credibile.

Quartò veniet cinctus nubibus, ut habetur *Dan. 7. Matth. 24.* & alibi sæpè. Ex quibus etiam thronus augustissimus ministerio Angelorum componetur (uti & olim majestatem suam Deus per nubem declarare solebat. & in nube cælum Christus ascenderat) super quem iudicaturus appareat in forma sedentis, more iudicium. Unde dicitur *Matth. 25. Tunc sedebit super sedem majestatis suæ; græcè est, super thronum gloriæ suæ.* Et *Dan. 7. Aspicebam donec throni positi sunt,* scilicet ad sedendum pro tribunali, unus scilicet pro Deo trino invisibiliter iudicante, seu *ante quo dierum,* alter pro *Filio hominis* visibiliter iudicante.

Quintò ad majestatem Judicis faciet universalitas iudicandorum, omnis scilicet creaturæ rationalis. Nam quantum spectat ad homines, sunt sententiæ generales *ad Rom. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Et alibi sæpè. Quò etiam facit, quòd generaliter dicitur Christus iudicaturus vivos & mortuos. Quare omnes parvuli in originali decedentes, juxta Doctores communiter contra *Durandum*, erunt tunc (uti modò post mortem singuli iudicantur) iudicandi seu condemnandi: *Sicut per unius Adæ delictum iudicium seu reatus pertransiit in omnes homines,* etiam in istos parvulos, in condemnationem juxta Apostolum *ad Rom. 5.* Quem admodum è contra indubiè quoque iudicio universali assistent parvuli cum solo baptismo salvati. Utrumque enim exigit universalitas iudicii, & gloria Christi omnium capitis. Idem est de infidelibus. Ad quòd præterea facit illud *Marci ult. Qui non crediderit, condemnabitur.* Et *1. ad Cor. 5. de iisdem dicitur: Eos qui foris sunt, Deus iudicabit.*

Nec refert, quòd *Joan. 3.* dicitur: *Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit jam iudicatus est.* Nam constat esse ibi sermonem de iudicio condemnationis, de quo *cap. 5.* dicitur: *Qui mala egerunt, in resurrectionem iu-*

dicii; supple, procedent. Quare sensus est: qui credit in Christum, fide vivâ scilicet & perseveranti, non condemnatur; qui autem non credit, id est, credere noluerit (agitur enim de infidelitate positiva, ut notat *Esaius ibidem,* & significatur tum per causam subjectam: *quia non credidit &c.* tum per id quòd dicitur in fine capituli: *Qui autem incredulus est &c.* quàmvis alioquin sententia generalius de omnibus omnino etiâ infidelitate negativâ laboratibus intellecta et vera ratione iræ & damnationis ob peccatum originale) jam evidens est ejus damnatio, eamque quodammodo secum adfert, veluti rejiciens salutis fundamentum quòd est fides, quia nimirum non credidit in nomine *Unigeniti Filii Dei.* Sicut *ad Titum 3.* de Hæretico dicitur, quòd sit proprio iudicio condemnatus, ut nempe non sit ratio de causa damnationis illius disceptandi.

Quantum ad Angelos, etiam est recepta satis Doctorum sententia satis expressè tradita ab *Augustino 21. de Civit. cap. 23.* eò quòd similiter id spectat ad publicam gloriam divinæ justitiæ; item ad gloriam Christi capitis omnium etiam Angelorum; ex quibus & hominibus adunatur Ecclesia triumphans. Serviet id ipsum ad gloriam bonorum tum Angelorum tum hominum, & ad confusionem malorum angelorum; quorum poena accidentaliter, uti bonorum præmium, crescet. Tunc enim recludentur omnes pro semper inferno, ad latâ facultate nocendi electis, & potentiâ honores sibi arrogandi divinos, eruntque exponendi publicæ ignominie coram universis. Denique idem satis indicat Scriptura *1. ad Cor. 6. Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Quòd specialiter de angelis apostatis in die iudicii per Christum & Sanctos iudicandis intelligunt Patres, *Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, Theophilactus & alii.* Idem dicuntur in iudicium magnæ diei reservari in *Epist. Iuda.* Simile quid habetur de iis *2. Petri 2.* Quare tunc perfectè implebitur, quòd *ad Coloss. 2.* de Christo dicitur: *Palam triumphans illos (dæmones) in semetipso,* prout victores solent in triumpho ducere & ostentare potiores captivos.

Sextò denique ad iudicis majestatem spectat iudicandorum qualitas, quòd scilicet sint omnes proprii servi & subjecti ipsius iudicis, qui proinde de servis suis iudicabit: Christus enim est Dominus & iudex omnium; quatenus Deus quidem, ratione creationis, conservationis & ultimi finis. Quatenus homo verò ratione Unionis hypostaticæ, & meriti; quo sibi hanc excellentiæ potestatem ejusve usum comparavit. Accedit in hominibus titulus redemptionis, quatenus eos captivos & perditos redemit & salvabit.

DICO IV. Iudice dein sedente pro tribunali sequetur discussio iudicandorum in hoc consistens, quòd omnia omnium & singu-

*iudicant. Ioan. 3.*

48. *Etiã ad Angelos erunt tunc iudicandi.*

*Denique ad gloriam iudicis pertinet qualitas iudicandorum.*

49. *Discussio fiet iudicandorum.*

Quibus accedent in aere omnes electi cum gloriosis corporibus.

45. *Sedebit iudex ante thronum ex nubibus formans ministerio Angelorum.*

46. *Ad majestatem iudicis quoque spectat universalitas iudicandorum. Etiam parvulos.*

*Et infidelium.*

47. *Quo sensu fideles dicuntur non iudicari, & infideles ja-*



quæ singulis  
patebunt sua  
ita propria  
& aliena  
omnia.

singulorum opera, sive cogitata, dicta & facta, præmio vel pœna in foro Dei divina, quæque adeo sunt materia iudicii, usque ad verbum otiosum & potum aquæ datum sistenti, manifesta fient & publicè coram omnibus detegentur, non per externa ligna aut locutionem (nam *¶* requireret longam valde temporis moram) sed per spiritualem illustrationem, Deo per omnipotentiam suam in memoria revocante omnia singulorum facta, nec non notitiam præbente apertam omnium à quovis alio patratorum, ac si perpetrari ea vidissent & haberent ea in recenti memoria; idque cum æstimatione singulorum secundum iustitiæ normam; ut scilicet omnes & singuli de quibuslibet intelligant, quid boni, quidve mali gesserint, adeoque æquitatem sententiæ mox secutura. Ita communiter Patres & Theologi. Patet ex Scriptura. *Dan. 7. Iudicium sedit, & libri aperti sunt;* id est, conscientiarum, & opera singulorum omnibus revelabuntur, ut explicat Hieronymus *ibidem. Apoc. 20. Libri aperti sunt &c. Matth. 10. Nihil opertum, quod non revelabitur, & occultum quod non scietur.* Et *1. ad Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare, de occultis scilicet, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, seu latentia velut in tenebris & occulto, & manifestabit consilia cordium, quæ tunc erunt conspicua.* Ratio est: quia hoc est veluti debitum ad finem publici & generalis iudicii, ut scilicet singulis innotescat æquitas iudicii, adeoque misericordia & veritas seu iustitia Dei. Quemadmodum etiam in publico iudicio humano solent proponi publicè coram iudice & adstantibus facta eorum. Unde idem postulante fine & perfectione iudicii singulis innotescet singulorum præmium & pœna, quod scilicet perfectè possint & debeant, etiam reprobi vel inviti probare iudicii æquitatem.

50.  
Etiam peccata  
Sanctorum per  
pœnitentiam  
remissa.

Ex his colligitur cum Doctoribus communius etiam manifestanda peccata Sanctorum per pœnitentiam deleta (idem è contrario est de operibus bonis reproborum per peccatum mortificatis) nam *cuncta que sunt adducet Deus in iudicium, sive bonum sit, sive malum; Eccl. ult.* Similiter alia locutiones Scripturæ & Patrum sunt generales; neque est ratio excipiendi. Id enim non cedit Sanctis ad confusionem, sed ad gloriam & gratiarum actionem. Unde etiam nunc sanctissima Magdalena sine confusione, sed cum gloria vocatur peccatrix, subintellige, conversa. Spectat deinde ad gloriam Christi & finem iudicii, ut declaretur, quænam peccata sint in iis per suam gratiam deleta, declaratisque satisfactionibus & pœnitentiis, æquitas sententiæ pateat, ad confusionem reproborum, qui pœnitentiam agere neglexerunt.

51.  
Nullus ibi  
res propriè aut testes, nullos patronos, nul-

lam iudicis cum reis disceptationem. Sed singulorum conscientiarum sine voce externa manifestè accusabunt singulos, & testimonium præbent, tum causis seu factis, tum dignitati præmii vel pœnæ absque aliqua tergiversatione, aut spe remissionis pœnarum, cuius tunc non erit locus vel tempus, perinde ac si accusatores, testes, patroni, disceptationes in plenissima forma intercessissent. Unde *ad Rom. 2. tradit à posteo us, quod ipsa singulorum conscientia testis omni exceptione major, quemlibet accusabit aut defendet, ac mox convincet in die iudicii; Testimonium (inquit) reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum.*

Dico V. Facta manifestatione operum succedet sententiæ iudicis, afficiens singulos, & singulis intellectualiter intimanda, quoad gradum, qualitatem seu intensiorem proportionatè ac merita vel demerita, in plenèque valde disparia. Eritque insuper duplex sententiæ generalis: prima pro electis, *Venite benedicti &c.* Secunda aspera pro reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum, quæ hos omnes damnabit ad æternum exilium à regno, & perpetuos carceres ac cruciatus; salvo quoad pœnam sensus dubio de parvulis solo originali infectis, juxta dicta P. 2. Tr. 2. disp. 6. q. 6. Patet ex Matth. 25.*

Sententiæ porro generalem ferendam esse voce sensibili, verius est, attentà qualitate iudicii, quod erit externum & sensibile, item iudicandorum, qui erunt homines; aliisque circumstantiis iudicii sive antecedentibus, sive concomitantibus, quæ quasi omnes, quantum congruè fieri potest, erunt sensibiles. Nec aliquid est in hac parte inconveniens, ob quod non fiat sensibiliter.

An verò similiter inter prolationem sententiæ miscbitur sensibilis laudatio Electorum per iudicem, quæ habetur *Matth. 25. scilicet: Esurivi, & dedistis mihi manducare &c.* vel contraria (quæ ibid. refertur) correptio reproborum: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c.* magis incertum est. Affirmant Plures, negant Alii. Id quidem credo, non fore laudem aut vituperium enuntiandum istis in specie verbis seu sententiis, quæ neque continent præcipua opera præmio vel pœnâ digna, neque etiam in omnibus locum habebunt, sed ad complementum parabolæ à Christo in Evangelio loquente ad Fideles (quibus opera misericordiæ erant inculcanda) sunt adjecta: satis tamen credibile est, sententiæ sensibili præmittendam vel addendam generalem laudationem ac vituperationem, sive causam ipsius sententiæ etiam sensibiliter; quamquam de hoc nil certi possit statui.

Dico VI. Cum Christo iudicabunt quoque modo Apostoli, & eorum perfecti imitatores. Patet ex *Matth. 19. Vos, qui secuti estis*



hinc Apo. si estis me, in regeneratione cum sederit Filius ho-  
sols & viri nimirum in sede maiestatis suae, sedebitis & vos super  
Apostolici; sed & duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.

Ubi hæc prerogativa cuiusdam iudicariæ potestatis tribuitur in primis Apostolis; non tamen solis, cum per sedes duodecim significetur universitas iudicantium, uti per duodecim tribus Israël universitas iudicandorum, ut docet Augustinus, Beda & alii Patres. Alias enim neque Barnabas neque Paulus haberet istam prerogativam; quod est absurdum. Deinde Apo. 4. fit mentio thronorum & sedilium seu thronorum viginti quatuor. Ubi similiter numerus quidam universalis designatur; à quo non excluduntur quatuor animalia visâ in circuitu sedis, seu quatuor Evangelistæ specialiter exhibiti extra istum numerum ob specialem quamdam inter seniores dignitatem. Quare hanc prerogativam specialem tribuunt SS. Patres & Doctores excellentioribus Sanctis, qui veluti primores regni Christo proximi confidebunt in thronis veluti iudices quidam assessores; quam (inquit D. Bonav. 4. d. 47. a. 1. qu. 1. in corp.) possumus appellare iuxta verbum Domini honorabilem confessionem. Quas verò partes five in sententiæ intimatione, si ve in causæ declaratione, si ve aliter sint habituri, conjecturæ locus esto.

Velut quidam iudices assessores,

55. Et quodam sensu omnes electi.

Adde omnibus electis quodam sensu competiturum iudicandi officium, iuxta illud 1. ad Cor. 6. Si in vobis, id est, per vos iudicabitur mundus totus, indigni estis qui de minimis iudicetis. Negritis quoniam Angelos iudicabimus? Et Sap. 3. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis. Idque non tantum improprie seu per quamdam comparationem: quo modo etiam Regina Aultri, & viri Ninivite surgent in iudicio, & condemnabunt generationem seu gentem Judæorum Matth. 12. per hoc scilicet, quod hi illorum comparatione merito damnabuntur: sed partim approbando sententiam iudicis, partim laudando justos & damnando malos tum homines tum demones, atque exprobando eis suam vilitatem & malitiam, quod præsertim superbissimis illis spiritibus erit poena molestissima. Signanter boni Angeli & prædicatores atque animarum curatores accusabunt si ve exprobrabunt malitiam & pertinaciam eorum, qui bonis inspirationibus, & monitionibus fidem seu aurem præbere noluerunt.

56. Sententia acceptio describitur.

Dico VII. Sententiam iudicalem, utpote efficacissimam, mox sequetur executio; adeoque sunt hi impii in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam Matth. 25. Itaque accepto ultimo ac tremendo vale pro tota æternitate à Iudice irato, cuius vultum ferre nequibunt, mox sese terra maximo hiatu aperiet usque ad inferos, illucque spectante electorum coetu tota illa innumera bilium hominum damnatorum colluvies cum dæmonibus præcipitabitur cum miserandis ejulatibus, & immenso fragore terræ

dissultantis. Quo quidem quam citissime divinâ virtute pervenient, & mox atque ad terminum pervenerint, terra sese firmissime claudet, & in omnem æternitatem clausa manebit, sic ut nullus damnatorum hominum vel dæmonum possit umquam exire vel ad superiora emergere. Quæ autem sint ibi supplicia, quanta confusio, & nullus ordo in terra ista miseræ, ubi sempiternus horror inhabitat, colligi potest per speciem quamdam ex dictis de inferno P. 2. Tr. 1. disp. 4. qu. 5. Iusti denique cum Christo Iudice ibunt gloriosi in cælum possessuri æternum illud regnum ac gloriam, de cuius immensitate quædam libavimus P. 1. in materia de visione beatifica, & plura P. 2. in Tract. de Beatitudine: quæ tamen ipsa paucissima & quasi umbratica solum sunt, si consideremus gloriam ipsam, prout in se est: ad quam nos benignissimus Salvator perducatur.

QUESTIO VI.

De Conflagratione & Innovatione Mundi.

IN fine sæculorum excitandum esse à Deo ignem universalem, quo mundus inferior conflagrabit, sicque purgabitur & innovabitur. Est certa Patrum & Theologorum doctrina, estque apud omnes Fideles persuasissimum, quod mundus finaliter peribit incendio, qui olim diluvio. Unde etiam in publicis Ecclesiæ precibus sæpè repetitur: Qui venturus est iudicare sæculum per ignem. Immo ipsa quoque Scriptura apertè id expressit 2. Petri 3. & alibi.

57. Mundus in fine conflagrabit.

Sed difficultas in primis est, an ignis ille conflagrationis præcessurus sit iudicium, an vero secuturus. S. Aug. 20. de Civit. cap. 30. secuturus putat. Quod etiam sentit Suarez Tom. 2. in 3. Part. disp. 57. sect. 1. & Nonnulli alii. Sed communior sententia Doctorum præcessurum censet. Quod non obscure elicitur ex Psal. 96. ubi est sermo ad litteram de futuro iudicio: Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius &c. Et Isaia 36. Ecce Dominus in igne veniet &c. Et 1. ad Cor. 3. docet Apostolus uniuscuiusque opus manifestum fore & per diem Domini (quo phrasi Scripturæ usitatâ intelligitur dies iudicii) declarandum quale fuerit, quia in igne, scilicet conflagrationis, revelabitur. Tunc itaque uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit; quo nempe homines tunc adhuc superstites examinabuntur seu probabuntur, & qui aliquid purgandum habuerint, purgabuntur, dein salvandi, iuxta id quod sequitur: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Ita hunc locum explicat Esius ibidem videndus, A Lapide, Lessius lib. 13. de perfect. divin. num. 113. & alii passim.

58.

Ignis conflagrationis præcedet iudicium.

Varii



59.  
Impios affliget, purgabit electos, atque omnes inserimet.

Varii porro sunt effectus hujus conflagrationis. Nam in primis purgabit cum proportione justos purgatione indigentes, inflammabit & affliget impios, omnes autem tunc adhuc superstites verosimilius interimet. Putant vero varii Patres, signanter *Amrosius* & *Lactantius* ad *Estium* in 2. *Petri* 3. (qui idem quoque censet cum plurimis aliis) ignem istum non afflicturum justos purgatione non indigentes, uti non afflixit tres pueros in fornace Babylonica. Quod tamen velut haud satis fundatum Varii non recipiunt: cum alioquin id foret contra activitatem ignis naturalem, & afflictiva mors recte acceptanda posset justis cedere ad augmentum meriti, nec aliàs igne secluso morerentur quantumlibet sancti sine doloribus & poenaltate afflictivâ. Fortè non incongruè dici posset, ignem istum afflicturum etiam perfectè sanctos, quantum affligeret mors aliàs naturaliter obeunda, sicut etiam purgatione indigentes inæqualiter pro qualitate culparum tamquam divinæ justitiæ instrumentum affliget. Verum tamen ex conjecturis solum procedi hinc potest.

60.  
Destruet omnia mixta, purgabit elementa.

Denique idem ignis mundum inferiorem peccatis quodammodo infectum purgabit; destruetque omnia corpora mixta, scilicet animantia terræ, volucres cæli, pisces maris, plantas, inanimata, etiam mineralia in visceribus terræ, adeoque montium fundamenta comburet; & quidquid in iis purgandum est, purgabit. Unde etiam omnia ædificia, oppida & cetera artefacta destruet. Aërem quoque ipsum, quousque scilicet vaporibus & fecibus infectus est, seu quousque purgatione indiget, pervagabit. Patet ex 2. *Petri* 3. ubi cæli, scilicet aërii, & terra dicuntur igni reservati in diem iudicii. Et infra: *In quo cæli magno impetu transierint instar procellæ, elementa verò crassiora, terra scilicet & aqua, calore solventur. Terra autem & que in ipsa sunt opera, scilicet corpora mixta & artefacta, aut (ut Estius putat) opera peccaminosa exurentur.* Ratio est: quia cum mixta sint ad usum hominis, hoc sine cessante, convenit ipsa cessare; quæ alioquin sunt continuæ vicissitudini obnoxia, secus quam elementa seu corpora simplicia.

61.  
Non tamen attinget sidera.

Satis tamen constat ex communi sententia Patrum & Doctorum solum hunc mundum inferiorem arsurum; non autem cælos sidereos, utpote non subiectos impuritibus & vicissitudinariæ generationi & corruptioni, adeoque purgatione non indigentes. Et consonat illud 2. *Petri* 3. *Cæli autem qui nunc sunt & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicii.* Ubi per cælos (quæ vox in Hebræo caret singulari) intelligi aëris loca & regiones, docent Interpretes, & patet ex contextu, cum de iisdem cælis immediatè præmittatur: *Per quæ ille tunc mundus aqua imundatus perit; qui utique*

non perit per cælos sidereos, sed per pluvias ex aëre subministratas, & aquas & visceribus terræ prorumpentes. Proinde sacri Doctores consequenter existimant ignem ascensurum tam altè, vel (ut *D. Bonaventura* 4. d. 47. a. 2. q. 3. in corp.) paulò altiùs, quam ascenderit diluvium, ad cuius instar succedet purgatio ignea.

Minus autem exploratum est, an ignis conflagrationis præcedet iudicium, quoad omnes suos effectus, sicut ut homines sint resurrecturi ad vitam immortalè in mundo jam innovato, ut plures censent & loquuntur: an potiùs sit præcessurus iudicium quoad interemptionem viventium & aliorum super terram, ac purgationem iustorum, quoad perfectam verò expurgationem & innovationem mundi sublunaris sit secuturus, sive idem ignis adhuc perseverans, sive noviter excitandus, qui celerrimè perficiat hanc rem, simulque impios involvat in tartara, ut censet *D. Bonaventura* sup. a. 2. q. 4. Saltem non fore completam hujus mundi innovationem antè iudicium vel inde colligitur, quòd deinde terra erit perfectè spherica, aquis undique tecta, juxta situm earumdem connaturalem, id autem non erit, nisi post iudicium.

Conflagrationem itaque consequetur cæli & terræ innovatio. Cujus quidem meminit Scriptura *Isaia* 65. *Ece ego creo cælos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, tantæ scilicet erunt præ prioribus pulchritudinis.* Et *Apostolus* 21. *Vidi cælum novum & terram novam: primum enim cælum & prima terra abiit &c.* Et infra: *Ece nova facio omnia.* Et ad *Rom.* 8. *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat, seu anxie illam desiderat omnis creatura etiam inanimata, quam Apostolus inducit per prosopopeiam instar alicujus personæ; nimirum quia nunc vanitati subiecta est seu mutabilitati, ex ordinatione Dei sub spe commutationis in melius, quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, seu ab ista mutabilitate & defectione, quando advenerit libertas gloriæ filiorum Dei.* Scimus enim quid omnis creatura inveniunt & parturit usque adhuc; id est, scimus enim omnia creata velut nobiscum sub pondere servitutis gemere, & requiem & innovationem in statum meliorem expectare. Ita explicat *Theophilus*, *Sasbouth*, *Estius* & alii passim.

Innovatio equidem hæc non erit per substantialem cælorum, astrorum & elementorum mutationem, sed per accidentalem eorundem meliorationem, ut habet communis quasi Scholasticorum sententia post *Hieronymum*, *Augustinum* & alios Patres Latinos. Nam (ut *Aug.* 20. de *Civ.* c. 14.) *mutatione rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. Unde & Apostolus ait: Præterit enim figura hujus mundi. Figura ergo præterit, non natura.* Et (ut *Hieronymus* in c. 65. *Isaia*) *novos cælos,*



caelos, & novam terram videbimus. Non dixit Petrus, Alios caelos & aliam terram videbimus, sed veteres & antiquos in melius commutatos. Quod namque veterascens innovatur, non perit substantialiter. Unde quod de caelis dicitur Ps. 101. Ipsi peribunt: intellige secundum externam speciem; ut colligitur ex iis quae sequuntur: sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; vestis autem seu opertorium dum invertitur, non mutatur substantia, sed specie externa. Si illi modo intelligitur illud Matth. 24. Caelum & terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt. Nisi malis subintelligere, potius seu facilius, q. d. potius id fieret, quod nunquam fiet, quam verba Dei praeterirent. Et sic concordatur Scriptura alteri Ps. 148. Statuis ea in aeternum & in seculum seculi, praecipuum posuit, & non praeteribit. Deinde eandem innovationem Scriptura alibi specificans, solius accidentalis mutationis meminit, ut ex loco Isaia 30. mox referendo patebit.

65. Itaque consistet innovatio mundi in mutatione status & qualitatum, uti & consistet innovatio ipsius humani corporis resurgentis, sic ut alia facies caeli & terrae appareat. Nam primo cessabit motus caelorum juxta Doctores communiter. Quo sensu multi Interpretes ad litteram intelligunt illud Apoc. 10. Tempus non erit amplius. Quamvis Quidam id referant ad tempus operandi meritorie. Quod equidem consistit cum altera expositione: nani dum tempus seu vicissitudinarius motus caelorum cessabit, etiam cessabit tempus bene operandi. Ad praesens quoque intentum passim explicatur illud Isaia 60. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur. Et quamvis intelligeretur de sole & luna spiritali, ipsa scilicet divinitate ejusque visione, quae perpetua erit sine occasu vel imminutione: tamen simul fit allusio ad Solem & Lunam materialem, qui post diem judicii stabiliter in eadem constitutione permanebunt; Sole videlicet unum hemispherium, Luna pletham atque perfectam, solique oppositam alterum hemispherium illuminante. Ratio est: quia tunc cessabit finis motus; qui est deservire hominibus, quotidianaque generationi & corruptioni. Neque erit quies ita caelis violenta: cum ex natura sua non petant moveri, praesertim sine alia utilitate. Immo communi sententia caeli moventur per Angelos, qui cur per totam aeternitatem absque alia utilitate occurrentur continuo eorumdem motu causando. Tunc igitur cessabit vicissitudo diei ac noctis, hibernis & aestatis, frigoris & aestus, ortus & interitus, eritque temper eadem caeli & terrae facies, eadem

ferentia & pulchritudo; conformiter ad stabilitatem ipsius aeternitatis.

66. Praeterea astra singula erunt multo lucidiora secundum proportionem convenientissimam Deo cognitam; juxta illud Isaia 30. Erit lux luna, sicut lux solis, & lux solis septemplex, sicut lux septem stellarum, in unum scilicet collecta, adeoque erit septuplum seu plurimum aucta. Quare ex hac mirifica illustratione orbes caelestes, ipsaque elementa aliam speciem induent. Stellaeque simul collustrantes videri poterunt, quarum lumen nunc solis luce offuscatur, non quidem in se, sed solum imbecilli nostro aspectui, tunc valide roborando. Astra tamen quae nunc lucem a sole mutuuntur, etiam tunc mutuabuntur, signanter luna, etiam juxta proportionem lucis solaris ampliolem lucem participatura.

67. Elementorum denique innovatio consistet in ablatione omnis qualitatis peregrinae, ordinato singulorum situ, sic terra depurata, & in corpus perfecte sphericum redacta, locum infimum sit obtentura, & juxta aliquos instar auri fulgida, vel instar vitri pellucida usque ad aliquam profunditatem; aqua terram sit tectura, limpida instar purissimi chrystalli; aer consequenter pellucidus aquam circumdaturus sit.

Quod autem S. Beda existimavit aquam post judicium non remansuram, sed substantialiter corrumpendam per ignem, caret fundamento, & repugnat communi sensui Doctorum.

68. Nec obstat, quod Apoc. 21. dicatur: Et mare jam non est. Nam intelligendo id ad litteram, uti debet, conformiter ad praecedentia literaliter intelligenda (etiam S. Augustinus dubitaverit, an intelligeretur ibi per mare saeculum hoc amarum & turbulentum) facile intelligitur, quod non tunc sit secundum externam faciem, uti caelum & terra, quae dicuntur ibidem abiisse. Quod si etiam contendatur aliquid amplius & speciale isto loquendi modo indicari de destructione maris, adhuc facile responderetur, quod mare simpliciter non manebit sub ratione maris, tum quia congregationes aquarum in unum alveum paratarum a terra (quae post judicium aëstus terram tegent) Deus vocavit maria; tum quia mare significat proprie congregationem aquarum salutarum, aëstus procellisque obnoxiatum, vaporibus quoque & impuritatibus impletarum. Proinde recedent vetera, ablata ab iis veritate, non natura, novaque & meliora erunt omnia. Cujus novitatis nos faciat esse participes Jesus Christus Dominus noster.

